Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 43
Quelle:
Copyright:

XXXI.

R. 659 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 807. 12. per duas columnas nitidissime, sed perquam minute exaratus, coloribusque distinctus sacra *Biblia* versionis vulgatae Prologis *Hieronymi* et consuetis Argumentis instructa continet, de quibus sequentia notanda veniunt: *Fol.* 274. p. 2. Rubrica *secundum librum Esdre* notat, quamvis pagina superne *Neemie* inscripta sit; adest enim *Liber* etiam *tertius*. *Fol.* 332. p. 2. *Psalmorum* titulus est: *Incipit liber ymnorum uel soliloquiorum dauid de christo*. *Fol.* 575. *Machabaei* duplici illo *Rabani Mauri* ad *Lodouicum regem*, et *Geroldum sacri palacii archidiaconum* Prologo muniuntur. *Fol.* 715. *Actus Apostolorum Epistolis Paulinis* et *Canonicis* interponuntur. *Fol.* 742. Testimonium triplex *Job.* I. c. 5. ita habet a prima manu: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in celo. pater. uerbum. et spiritus sanctus. et hii tres unum sunt. et tres sunt qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis. et hii tres unum sunt.* Postremum tamen κομμα punctulis subnotatum est tanquam delendum. Ad calcem accedunt primo *Interpretationes nominum hebraicorum*, dein *Lectionarium* Epistolarum et Evangeliorum per annum ab alia manu, in quo pro *Dominica I. Adventus* etiamnum adsignatur Evangelium *Matth.* c. 21. *Cum appropinquasset Jesus Jerosolymis* &c.

XXXII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 265. f. per duas columnas literis densatis, atris exaratus, et rubricis distinctus *Biblia sacra* vulgatae interpretationis complectitur, ita tamen a Profanis male habita, ut evulsis foliis initium nunc sit a C. XXIII. *Exodi*, finis vero in C. VI. *Evangelii Johannis*, adpareatque e relictis vestigiis, Interpretationem notam Vocum *hebr.* et *graec.* iis adjunctam fuisse. Exemplar in II. Partes dividi declarat *fol.* 173. p. 2. ubi legas: *Explicit prima pars siue medietas bibilie* (sic) *scripta post secundam. in vigilia beati Luce ewangeliste. Vtraque per Bernhardum incepta. Per Temlinum vero finita, in Castro Strigonien. Anno domini M°. CCC^mo^. Nonagesimo quarto: Laus domino. Amen.* Et caerulo: *Explicit prima pars biblie. Amen.* Et recentiore calamo: *Collegij Christi Strigonien.* Procedit vero haec Pars ordine Librorum recepto, nisi quod *Paralipomenis* et *Esdrae* interjecta sit *Oratio Manassis*, Libro I. et III. *Esdrae Nehemias*, *Psalterium* desit penitus, et *Jobum*, qui finitus ad calcem dicitur *feria V. post natiuitatem christi hora uesperar.* continuo excipiat *Salomon* cum *Sapientia* et *Ecclesiastico*. Pars sive Medietas altera a *Prophetis* orditur *fol.* 174. deficitque, ubi supra indicatum est. Prologi *Hieronymi*, et nota illa argumenta passim Libris praefiguntur. *Demetrium* Card. Archiep. *Stri-*

R. 31